

sine Sacrificio Facultatum suarum pro vacantibus Cathedris aequè Domi concurrere valeant, desiderium suum expressissent, ut Regia Accademia Zagrabienſis ad Universitatem a paritate Universitatis Graecensis, in qua aequè non nisi tres Facultates, prout hic loci, quippe Philosophica, Juridica et Theologica existunt, elevetur — ideo desiderio Eorundem conformis submissa est Suae Majestati Sacratissimae Remonstratio.

Articulus Trigesimus.

De Actorum Deputationis Regnicolaris in merito subversantis inter Regna Croatiae et Slavoniae nexus servatae remissione, ab altissimo Loco denuo solicitata, ac Slavoniae Inferioris Nomenclatione penes altiora Dicasteria retineri expetita.

Quantopere expediat intimius nosse nexum inter Regna Croatiae et Slavoniae intercedentem, Testimonio sunt illa, quae in postrema Regni Hungariae Partiumque adnexarum Regni Diaeta per Hungaros, Succussionem ac Sublationem ejusdem nexus pro scopo habentes, acta et suscepta fuerunt; sicut itaque SS. et OO. pro illustrando nexu hoc Deputationem Regnicolarem exmiserunt, quae delata sibi Provincia defuncta est, et sicut acta praeviae Deputationis, quae erga altissimos ordines Suae Majestati Sacratissimae per Excell. D. C. Banum substrata habentur, sibi remitti in proxime praeterlapsa ante-diaetali Regni Congregatione petierunt, ita necessitate Eorundem actorum continuo ac penes perdurantes Hungarorum Impetitiones magis magisque subversante — SS. et OO. pro praeactactorum Actorum Regnicolaris Deputationis Remissione Suae Majestati Sacratissimae Supplices evaserunt, una vero cum ex Caesareis Decretis Aulicis et Intimatis Ex Consilii R. L. H. SS. et OO. observassent, quod vetusta inferioris Slavoniae Nomenclatio non adhibeatur, Suae Majestati Sacratissimae supplicandum esse decreverunt, quo penes altiora Dicasteria clementer disponere dignaretur, ut in Resolutionibus et Intimatis vetusta inferioris Slavoniae Nomenclatio retineatur.

Articulus Trigesimus Septimus.

De Objecto promovendi Nationalis Comercii.

Siquidem primum idque essenziale medium promovendi Nationalis Comercii constituat facilis ac cum minimis Expensis juncta evehendorum articulo- rum ad suam destinationem promotio, inter praecipuas vero adhibendi hujus medii partes referratur, regulatio atque repurgatio fluviorum Savi et Colapis, velut naturali suo situ brevissimam una et plurimum consentaneam ac cum minimis Expensis conjunctam hunc in scopum Communicationem praebentium, ideo SS. et OO. Suae Majestati Sacratissimae de genu supplicuerunt, quatenus memoratorum fluviorum regulationem et repurgationem benigne ordinare ac per id in florescentiam Nationalis Comercii fundamentalem per sacros Regnorum horum Posteris gratissima reminiscencia recolendam radicem figere — in reliquo vero